

FLORA.

N^o 5.

Regensburg. 7. Februar. 1843.

Inhalt: Hochstetter, nova genera plantarum Africae. — Anzeige von L. Schrag.

Einlauf bei der k. botan. Gesellschaft vom 25. Jan. bis 4. Febr. 1843.

Nova genera plantarum Africae, proponit et describit
CH. F. HOCHSTETTER. Continuatio.

(Confr. Flor. 1841. I. p. 369. II. p. 657. 1842. I. p. 225.)

B i x a c e a e.

Xylothecca (derivatio a $\xi\lambda\lambda\omicron\nu$ et $\theta\eta\kappa\eta$ ob fructum lignosum).

Character: Flores unisexuales. **Mas:** alabastrum obovatum obtusum, calyx tripartitus deciduus segmentis concavis corollam involventibus aestivatione imbricatis, corollae petala 9 patentia aestivatione imbricata calycem superantia, stamina numerosa filamentis filiformibus antheras lineari-oblongas aequantibus; ovarium nullum. **Foemina:** — — — —. Fructus ovalis lignosus unilocularis stylo apiculatus, semina plurima placentis tribus vel quatuor parietalibus affixa, altero latero convexa et angulata, altero concava, in epidermidis appendicem carnosum pulposum extensa, testa crustacea.

Xylothecca Kraussiana Hochst. (in schedulis scriptis fructu nondum viso: Anona Kraussiana). Frutex 8—10pedalis foliis sparsis obovato-oblongis 2—3 pollicaribus obtusis vel subacutis utrinque glabris reticulato-venosis margine ciliatis, flores in ramulis axillaribus subterminales 1—3, pedunculati, speciosi, flavi (saltem masculi), aperti diametro bipollicari.

Habitat in sylvis coloniae Natal prope Umlaas River, ubi Octobri 1839 florentem, Decembri fructiferam legit Dr. Krauss, Stuttgartiensis.

Flora. 1843. 5.

E

R u b i a c e a e .

Diotocarpus (ob fructum duabus calycis laciniis majoribus
ornatum ex *διωτος* et *καρπος*).

Character: Calycis tubus obovatus vel turbinatus cum ovario connatus, limbus superus in dentes duos elongatos (rarius tres vel quatuor) divisus, interdum accessoriis nonnullis setiformibus adjectis. Corolla supera longe tubulosa hypocraterimorpha, fauce barbata, limbo quinquefido (rarius quadrifido) laciniis obtusis; stamina quinque vel quatuor infra faucem in superiori parte tubi oriunda exserta (rarius inclusa), antheris versatilibus lineari-ellipticis; ovarium biloculare loculis uniovulatis, stylus filiformis simplex exsertus vel inclusus, stigma bifidum laciniis linearibus. Capsula coriacea didyma (drupa dipyrena) calycis limbo coronata bipartibilis, coccis (pyrenis) monospermis indehiscentibus; semen subtriquetrum, altero latere convexum altero planum.

Herbae caule tetragono vel compresso, foliis oppositis nervosis, utrinque stipulis tri — quinquefidis, cymis capitatis terminalibus pedunculatis, ramis post anthesin saepius plus minus elongato-spicatis.

Genus *Otiophorae* Zuccar. et *Knoxiae* L. proximum ut videtur.

1. *Diotocarpus prunelloides* Hochst. (Crusea variabilis et lanceolata E. M. in pll. exsiccatis Drègei. — *Declieuxia prunelloides* Klotzsch in Eckl. et Zeyh. Enum. pll. Afr. austr.) Caulis dodrantalis vel pedalis ascendens (plures ex una radice ut videtur) vel erectus tetragonus subcompressus (rarius subhexagonus) praesertim superne plus minus hirsutus; folia opposita vel rarius terna, infima oblonga obtusiuscula parvula, superiora pollicaria vel sesquipollicaria lanceolata integerrima acuta glabriuscula vel plus minus hirsuta, venosa, basi 3 — 5nervia; stipulae folia conjungentes quinquefidae laciniis subulatis, tribus mediis longioribus; flores cymoso-capitati, calycis lacinae lineari-lanceolatae geminae (interjectis plerumque duabus vel quatuor setiformibus minimis) pubescenti-hirtae, corolla 8 lineas longa (vel ultra) pubescens tubo filiformi; in aliis plantis stamina exserta, stylus vero inclusus, in aliis contra stylus exsertus et stamina inclusa (unde suspicor speciem subdioïcam esse).

Ad sylvarum margines circa Natal-Bay Junio florentem legit clarissimus Dr. Krauss Stuttgartiensis et in plantis exsiccatis, quas edidit, numero 239 insignivit.

β. *latifolia* Hochst. (*Declieuxia latifolia* H. in plantis Kraussii

exsiccatis sub no. 249.) Vix nisi foliis latioribus, ovato-oblongis, statura paulo robustiori, hirsutie et capitulo densiori, nec non corollis paulo longioribus (fere pollicaribus) a priori differt, ut speciem distinctam constituere non videatur.

Hanc varietatem vel formam in summitate montium Natalensium Tafelberge 2000 — 3000 pedes supra mare Septembri 1839 florentem legit Dr. Krauss.

2. *Diotocarpus angustifolius* Hochst. — Caulis erectus pedalis vel bipedalis tetragonus glaber, folia opposita lineari-lanceolata 2—3 pollicaria glabra flavo-viridia, basi trinervia, integerrima, stipulae inter folia 3—5 fidae, lacinia intermedia longiori reliquae minimae, inflorescentia subspicata, floribus ut videtur ternis (laterales steriles bracteaeformes, intermedio solo fertili, nisi exemplaria sicca fallunt — etiam in priori specie flores tabescentes vel bractee perfectis floribus intermixtae esse videntur), calyx et corolla glabrae.

In graminosis planitieci circa Natal-Bay Dec. 1839 et Jan. 1840 legit clarissimus Dr. Krauss et in schedulis scriptis sub no. 93 et 118 edidit.

Observatio. Genus „*Kurria*“, quod in Florae tomo I. anni praeteriti inter alia Rubiacearum nova genera descripsi, a genere Wallichiano „*Hymenodyction*“ visa tabula 188. Plant. Asiae rar. separari non posse nuper perspexi. Hinc *Kurria floribunda* Hochst. et Steud. (in Schimperii pl. exsicc. Abyss. no. 277) nunc *Hymenodyction Kurria* mihi est.

A c a n t h a c e a e .

Haplanthera (nomen derivatum ex ἀπλος simplex et anthera ob antheras uniloculares).

Character: Calyx quinquepartitus subaequalis laciniis angustis. Corolla bilabiata, labio superiori bifido, inferiori trifido, lobis aequalibus, omnibus obtusis. Stamina quatuor a basi usque ad faucem tubo adnata, duo breviora ananthera, longiorum exsertorum antherae uniloculares glabrae, apice et basi acuminatae, ad dorsum connectivo continuo adnatae. Ovarium biloculare, loculis biovulatis, stylus filiformis simplex longe exsertus stigmatate capitato bilobo. Capsula.....

Frutex foliis ovatis oppositis, floribus spicato-capitatis terminalibus, speciosis, pedicellis basi bibracteatis.

Genus ad Justiciaeas Aphelandreas (*Nees*) pertinens.

Haplanthera speciosa Hochst. (Schimperii pl. exsicc. abyss. ab Unione itin. editae no. 769). Frutex cortice cinerascente vel pallido erectus vel subscandens, ramulis oppositis tetragonis (saepe rubentibus) laevibus glabrisque, foliis oppositis petiolatis, ovatis, acuminatis, subtus reticulato-venosis, integerrimis subciliatis, in petiolum decurrentibus; calyx glabriusculus 5—6 lineas longus, laciniis lanceolatis ciliolatis, corolla sesquipollicaris extus puberula rubicunda, labio superiori ad basin utrinque intensius punctato, palato maculis copiosis punctiformibus confluentibus atrosanguineis picto.

In declivibus ad utrumque latus vallis fluvii Tacaze d. 2. Octbr. 1838 lecta.

Tyloglossa (ex *τυλος* callus vel gibbus et *γλωσσα* lingua sc. labium inferius).

Character: Calyx quinquepartitus aequalis, laciniis subangustis. Corolla hypogyna, bilabiata, labio superiori plano integro vel subbidentato, inferiori porrecto, breviter trilobo, ad palati nervum medium utrinque venis turgidis lineas gibbosas seu rugas transversales formantibus notato; stamina duo ad faucem inserta, antherae biloculares loculis in connectivo dilatato oblique superpositis, inferiori basi in rostrum producto. Stylus simplex filiformis stigmatibus bifido. Capsula bilocularis tetrasperma, breviter unguiculata, subdepressa torulosa; semina rugosa, retinaculis lamellatis obtusis subtensa.

Herbae annuae vel perennes foliis oppositis integerrimis, spicis terminalibus, floribus verticillatis, utrinque ternis (intermedio plerumque tabescente), bracteatis, bractea solitaria, bracteolis binis.

Genus ad Gendarusseas pertinens, Rostellariae *Nees* affine.

1. *Tyloglossa palustris* Hochst. (In plantis exsiccatis Kotschy ex itin. nubico no. 80. Gendarussa palustris Hochst. — In pll. exsicc. Schimperii ex it. abyss. no. 1211.) Annua caule erecto subramoso pedali vel altiori subhexagono, foliis (subobverse) lanceolatis integerrimis obtusiusculis vel subacutis venosis utrinque pubescentibus in petiolum brevem basi angustatis quadripollicaribus, spicis 3—8 pollicaribus longioribusque, bracteis bracteolisque lineari-lanceolatis et calycibus paulo brevioribus longe ciliatis, corollis parvis palide lilacinis, palato citrino, rugis tribus transversis utrinque notato, capsulis pubescentibus torulosis calycis longitudine. Semina reniformi-subrotunda, compressiuscula, jugis transversis rugosissima, maturitate nigrescentia.

In Nubiae provincia Cordofan ad montem Arasch. Cool e solo

limoso juxta aquas stagnantes enascentem d. 30. Sept. 1839 legit Th. Kotschy, in Abyssinia prope Gafta d. 30. Sept. 1838 W. Schimper.

2. *Tyloglossa major Hochst.* (In pl. exsicc. Schimperii itin. abyss. no. 1251). Caule elato erecto ramisque hexagonis pubescentia appressa subincanis, foliis lanceolatis utrinque pubescentibus, sexpollicaribus vel longioribus, supremis paulo brevioribus, petiolo in inferioribus pollicari vel longiori; spicis 2—6 pollicaribus, paulo densioribus quam in priori, bracteis bracteolisque et calycibus similibus, sed floribus triplo majoribus, labio superior lineis duabus, inferiori tribus longitudinalibus picto, palato rugis 4—5 transversis ad nervum intermedium utrinque notato; capsula prioris, paulo tamen minori et acutiori. Seminum rugositas alia, quam in priori specie, scilicet gibbera multa singula rugosa, non rugae transversales regulares, superficiem formant.

In arborum umbra ad radices montium vallis fluvii Tacaze, ad sinistram ripam d. 24. Sept. 1838 legit W. Schimper.

3. *Tyloglossa minor Hochst.* (no. 1043 in pl. exsicc. Schimperii ex itin. abyss.) Ramosa, ramis hexagonis, priori minor, foliis multo minoribus, spicis 1—2 pollicaribus, capsulis et seminibus speciei antecedentis, cui perquam similis. Forsan prioris varietas, sed exemplaria nimis imperfecta certam dijudicationem non admittunt.

Ad rupes in Abyssiniae provincia Modat prope Mai Oui d. 1. Apr. 1839 legit W. Schimper.

4. *Tyloglossa acuminata Hochst.* (in pl. exsicc. Schimperii ex itin. abyss. — sine no.) Caule elato erecto ramisque hexagonis puberulis, foliis sexpollicaribus longioribusque, late lanceolatis et valde acuminatis, eximie venosis, utrinque pubescentibus; spicis elongatis glanduloso-hirsutis. Statura et habitu *T. majoris*, sed folia crassiora et supra saturatius viridia, multo magis acuminata, spicae longiores, bractea, bracteolae et calyces non hispido ciliatae sed hirsutae (hirsuties pilis glandulosis copiose mixta), corollae paulo majores et palati nervus intermedius venas 6—7 turgentes utrinque emittens, quarum infimae ramosae; capsulae et semina tamen fere ejusdem structurae.

5. *Tyloglossa Schimperii Hochst.* (*Justicia calcarata Hochst.* in Fl. abyss. exsiccata Un. itin. no. 106. — sed postea *Rostellaria Schimperii ejusd.* et sub no. 1101 *Tyloglossa Schimperii.*) Caule herbaceo ramoso sexangulari ramisque hispidulis vel glabris, infe-

rioribus ovatis obtusis, superioribus lanceolatis, omnibus ciliatis et utrinque pilosiusculis, verticillis remotis foliosis, calycis laciniis lanceolatis margine membranaceis ciliatisque, bracteis bracteolisque exiguis setaceis, corollis purpureis calyce quadruplo longioribus (venae transversales ex nervo medio palati 5—6 vel plures, sed vix turgescentes), capsulis glabriusculis calyce duplo longioribus acutis, seminibus subglobosis rostellatis, rugosis. — Planta habitu Galeopsidis Ladani.

In Abyssinia prope Adoam inter fruticeta minora d. 20. Sept. 1837 et d. 7. Nov. 1838 legit W. Schimper.

6. *Tyloglossa Kotschyi* Hochst. (*Rostellaria sexangularis* Hochst. in Fl. nubica exsiccata Un. it. no. 293.) Simillima priori, sed rigidior, caule foliisque scabriusculis non pilosis, calycibus et bracteis longioribus, capsulis puberulis calycem vix superantibus. An prioris varietas?

Ad pagum Cordofanum Milbes inter gramina excelsa d. 4. Dec. 1839 legit Th. Kotschy.

Monothecium (derivatio a „μονος unus et ἄνθιον locus“
ob antheras uniloculares).

Character: Calyx quinquepartitus subaequalis, segmentis angustis; corolla bilabiata, fauce inflata, labio superiori erecto truncato-bidentato, inferiori plano tridentato (breviter trilobo); stamina duo prominula a basi usque ad terminum tubi adnata, antheris unilocellatis linearibus, connectivo apice unilateraliter dilatato ad dorsum medium affixis; ovarium biloculare loculis biovulatis, stylus simplex filiformis exsertus stigmatem brevissimo bifido; capsula longe unguiculata bivalvis, valvis medio septiferis, retinaculis lamellatis longiusculis obtusis, seminibus discoïdeis rugoso-tuberculatis. Inflorescentia: spica tetragona bracteata, capitulis bibracteolatis sessilibus oppositis bractea una suffultis, floribus in capitulo ternis, lateralibus plerumque tabescentibus vel abortivis; calycis segmenta subulata bractea bracteolisque longiora.

Inter Gendarusseas et Dicliptereas ambigit, sed his proprior videtur.

Monothecium glandulosum Hochst. (*Hypoëstes glandulosa* Hochst. in Fl. abyss. exsicc. Un. itin. no. 346 et postea sub no. 617 *Rostellaria glandulosa* N. ab E. in litt.) Caule adscendente ramoso pubescenti-cano pedali — bipedali, basi lignescente, foliis ovatis petiolatis utrinque acuminatis pubescentibus, spica terminali elon-

gata attenuata, bracteis lanceolatis bracteolisque similibus et calycibus longioribus subulatis glanduloso-pubescentibus, corolla calycem superante (alba vel pallide rosea?) labio superiori angusto extus pubescenti, inferiori latiori punctis rubris picto, capsula puberula (pube saepius glandulosa) figuram capsulae *Justiciae* bicalyculatae omnino aemulante.

Illustrissimus *Acanthacearum Indiae orientalis* monographus Nees ab Esenbeck missam sub nomine *Hypoëstis glandulosae* in litteris ad me scriptis generi *Rostellariae* suae adscribere jussit, quo factum est, ut in schedula sub no. 617 *Rostellaria glandulosa* appellata sit. Sed hanc plantam iterum exploranti antherae constructionem ab illustrissimo viro omnino praetervisam vel occasionem examinandi non datam fuisse (forsan specimen penitus defloratum missum habuit) et novi generis typum ante oculos esse mihi patuit. Praeterea calyx quinquepartitus regularis, verticilli multiflori et capsula longe unguiculata cum *Rostellaria* non congruebant, in *Hypoësti* autem calyx multo minor, bractearum alius numerus et ordo, atque inflorescentia aliena desideratur.

In dumetis regionis inferioris et mediae australis montis Scholoda in Abyssiniae provincia Tigre d. 5. Nov. 1837 nec non in praeruptis umbrosis prope Mai Dogale d. 10. Nov. 1839 legit W. Schimper.

A n n o t a t i o

*ad genus novum Acanthacearum „Monechma“ in Flora anni 1841
T. I. pag. 374. a me descriptum.*

Justicia (Dianthera) debilis Forsk. (monente illustrissimo Nees ab Esenbeck in litteris ad me scriptis) hujus generis est, et quoad descriptiones Forskaalii et VahlII tam prope accedit ad *Monechma bracteosum* meum a Kotschy in Nubia nec non a Schimpero nostro in Abyssinia lectum, ut quaeri possit, num sit hoc forma prioris. Ego illam quidem plantam, quam anno 1837 ex Arabia a Schimpero lectam Unio itin. sub no. 821 exsiccatam nomine *Justiciae rupestris* Hochst. et Steud. edidit, formam seu varietatem *Monechmatis bracteosi* esse mihi persuasum habeo, et nunc huic subscribo, sed *Justiciam debilem* Vahl (Forsk.) diversam speciem esse existimo quamvis proximam.*) In planta nubica et

*) Cfr. Linnaeam 1842. p. 302—304, ubi *Justicia rupestris* Hochst. et Steud. ad *Justiciam (Gendarussam) debilem* trahitur, sed ut videtur solum ex descriptionibus Forskaalii et VahlII (nescio quo jure emendatis) nec ex autopsia plantae Forskaalianae.

abyssinica caulis luculentissime angulatus, jam obiter visus tetragonus quadrisulcatus (accuratius inspectus sulco quinto et sexto leviori subhexagonus), pubescentia minuta subincanus, et folia 2—4 pollicaria margine scabra sunt, Vahlus autem *Justiciae debili* folia articulis, quos sesquipollicares asserit, dimidio breviora, ergo ne pollicem quidem metientia, Forskaalius laminam folii pollicarem et caules cubitales teretes villosos (Vahlus ramos obsolete quadrangulos quadrisulcatos retrorsum pilosos) tribuit. Caulis vero teres et villosus seu pilosus omnino non quadrat in *Monechma bracteosum* meum, et foliorum dimensio etiam in forma illa pusilla (digitali et spithamaea), quam *Justiciam rupestrem* (no. 821 in plantis Schimperii arabicis) appellavi, pollicis longitudinem generaliter multum excedit. Praeterea numerus florum in verticillo repugnat et Vahlus plantam fruticosam indicat Forskaaliusque plantam multicaulem innuere videtur, nostra autem radice annua et caule saepissime quidem ramoso sed basi ima simplici gaudet. Itaque antequam autopsia identitatem utriusque speciei cognoverim, confundendas esse non censeo.

Justicia ciliaris L., quae quoad descriptiones cum *Monechmate* hispido meo (in pl. exsicc. Kotschy ex it. nubico no. 239) bene convenit et Neesio in litteris monente vix ab illa separari posse videtur, tamen ex patria (Cumana indicatur) facile diversa species, sed forsitan ejusdem generis.

Quartam vel quintam *Monechmati* subjungendam speciem Schimperus ex Abyssinia misit (sed pauca tantum specimina), cujus descriptionem addo:

Monechma affine Hochst. Caule erecto spithamaco vel pedali inferne subramoso obsolete tetragono pubescenti-incano, foliis pollicaribus vel sesquipollicaribus anguste lanceolatis obtusis in petiolum brevem attenuatis, margine scabriusculis, spicis pollicaribus axillaribus terminalibusque bracteosus, bracteis ovato-lanceolatis obtusis dense ciliatis, calycibus subulatis, bractea brevioribus, floribus eadem duplo longioribus, capsula pubescenti disperma, semine discoideo laevissimo. Valde simile *M. bracteoso*, sed foliis minoribus, floribus majoribus et bracteis oblongis earumque nervis costalibus obsolete (in bracteoso orbiculatae, mucronato-acutae et nervis costalibus valde conspicuis percursae sunt) satis differt.

Generi quidem *Gendarussae* (Nees) proximum est *Monechma*, sed capsula disperma bene distinguitur, et hanc distinctionem non absque re esse illustrissimus *Gendarussae* generis auctor in novissimis litteris ad me scriptis ipse ingenue pronuntiavit.

Loganiaceae.

Lachnopylis (a λαχνος villosus et πυλις portula vel introitus ob corollae faucem villosam).

Character: Calyx liber tubulosus cylindricus quadridentatus, dentibus brevibus obtusiusculis, intus pilis arrectis appressis vestitus; in fundo annulus cupuliformis hypocorollinus; corolla hypocrateriformis tubo calycis longitudine, limbo quadripartito fauce villosa; stamina quatuor ad faucem inserta, limbi laciniis alterna longe exserta, filamenta filiformi-subulata, antherae incumbentes reniformes biloculares oculis confluentibus; ovarium obovatum inferne glabrum, parte media et superiori villosum, biloculare, multiovulatum, placentis dissepimento adnatis, ovulis plurimis peltatis; stylus simplex terminalis longe exsertus filiformis indivisus in stigma truncatum vel obtusum desinens. Fructus capsula?...

Inflorescentia cymosa, ramulis et pedicellis bracteolatis.

1. *Lachnopylis ternifolia* Hochst. (in pl. exsicc. abyss. Un. itin. no. 1159.) Fruticosa, ramulis angulatis subtomentosis, foliis ternis obverse lanceolatis obtusis submucronatis utrinque glaberrimis 2—3 pollicaribus integerrimis subcoriaceis, breviter petiolatis, petiolo basi articulado, stipulis nullis (rarius margo stipulaceus obsoletus inter petiolos observatur), cymis vel paniculis terminalibus thyrsoideis valde multifloris, ad ramulorum et florum basin bracteolatis, calycibus extus glaberrimis glutinosis laevibus, corollae (albidae?) laciniis ovato-lanceolatis subacutis patentibus vel reflexis, staminibus exsertis, stylo staminibus duplo longiore.

Frutex ex majoribus (ut videtur), a Schimpero florens in Abyssinia lectus, sed neque tempore neque loco speciali indicato.

2. *Lachnopylis oppositifolia* Hochst. Fruticosa, ramulis angulatis subcompressis, foliis oppositis petiolatis anguste lanceolatis 3—5 pollicaribus integerrimis vel repando-dentato-serratis obtusis glabris, cymis paucifloris, floribus duplo minoribus quam in priori specie, corollae laciniis obtusis.

Specimen unicum a Schimpero missum, cum priori, ut videtur, lectum.

Hoc genus novum in schedula typis impressa specimenibus exsiccatis prioris speciei addita Apocynearum familiae adscripsi, sed nunc iterata investigatione ad Loganiaceas referre satius mihi visum est, praesertim ex numero partium floris quaternario et ovulis peltatis insertis. Caeterum Loganiaceas et Apocyneas proxime

sibi affines esse et absolutos limites inter utramque familiam non dari inter botanicos constat. Jam primum inter Loganiaceas collocaveram, sed stipularum defectu ad Apocyneas propius accedere plantam tum temporis ratus eram.

Asclepiadeae.

Pterygocarpus (α πτερυξ ala et καρπος fructus ob folliculos alatos).

Character: Calyx quinquefidus, corolla rotata subcampanulata quinquefida, lobis ovatis obtusis, corona staminea pentaphylla, foliis subdepressis inflatis; antherae appendice membranacea terminatae. Pollinia clavata basi affixa erecta; stigma umbonatum. Folliculi ventricosi longitudinaliter alati, alis decem crassis membranaceis; semina plurima compressissima marginata, ad umbilicum comosa.

Ad Pergularias Tylophoreas pertinet (in schedula Un. itin. plantae exsiccatae addita Gomphocarpo RBr. et Pachycarpo E. M. affinis dicta est ex contemplatione minus accurata.)

Pterygocarpus abyssinicus Hochst. (pl. abyssin. exsiccatae Un. itin. no. 1366 florifer et 1294 fructifer.) Caule fruticoso volubili, foliis oppositis ovatis acuminatis integerrimis glabris, petiolo 1 — 1½ pollicari, lamina 3 — 5 pollicari, subtus reticulate venosa, umbellis pedunculatis subdichotomis, pedunculis alternis interpetiolaribus pollicaribus glabris, ad divisiones multibracteatis, bracteis parvis lineari-lanceolatis deciduis, pedicellis filiformibus inaequalibus, maximis subpollicaribus; floribus majusculis, corollis calyce obtuso multo majoribus, intus ad margines tomentosus; folliculis quadripollicaribus crispato-alatis glaberrimis.

Frutex in Abyssinia prope Sabra in praeruptis ad radices montium florens lectus d. 19. Jul. 1838, fructifer d. 9. Mart. 1840 a peregrinatore celeberrimo W. Schimper.

Apoxyanthera (nomen derivatum ab antheris acuminatissimis).

Character: Calyx quinquepartitus, corolla subrotata profunde quinquefida lobis linearibus apice concavis obtusissimis, aestivatione valvatis; faux coronata squamis quinque exsertis acuminatis ante sinus positis; corona staminea nulla; stamina quinque filamentis brevibus ad basin squamarum insertis, antheris sagittatis apice in cornu acuminatum productis; styli duo, stigma conicum pentagonum. Folliculi

Apoxyanthera pubescens Hochst. in Kraussii pll. exsicc. Africae australis no. 106 b. — Herba perennis vel fruticulus mi-

nimus dense pubescens basi ramosus subaphyllus, floribus cymoso-paniculatis rubicundis (si ex sicco judicaveris), mediocribus (corolla clausa cum calyce parvulo tres lineas longis), bracteis lineari-lanceolatis oppositis (foliis forsán dixeris) ad origines pedunculorum.

In Africa australi loco speciali non indicato legit Dr. Krauss.

S a m y d e a c.

Candelabria (nomen ob stamina quinque fertilia basi connata et dehinc deflexa candelabri formam referentia impositum).

Character: Calyx tubulosus limbo quinquefido aequali; corolla nulla (nisi stamina quinque sterilia petaliformia laciniis calycinis alterna ad faucem tubi cum disco inserta petala dixeris); discus carnosus calyci ad tubi faucem impositus stamina quinque fertilia ambiens iisque basi adnatus; filamenta horum staminum a fauce tubi oriendorum inferiori parte in columellam connata deinde libera statim deflexa laciniis calycinis opposita (fere ut in *Passiflora*, sed angulo acuto subito deflectuntur, ut candelabri figuram facete referant), antherae biloculares vere introrsae sed deflexione staminum extrorsae; quinque alia stamina sterilia (nisi petala dixeris, ut jam supra indicatum est) brevissime stipitata petaliformia laciniis calycinis alterna infra discum prodeuntia. Ovarium lanatum? . . . stylus filiformis, stigma subtridentatum columellam stamineam superans. Fructus

Genus *Casariae* affine.

Candelabria micrantha Hochst. in Kraussii pl. exsicc. Africae australis no. 133. — Arbor 15 pedalis foliis alternis breviter petiolatis ovalibus 4—6 pollicaribus glaberrimis integerrimis vel obtusissime undulato-subcrenatis discoloribus supra lucidis utrinque parallele venosis obtusis, floribus exiguis bracteatis glomerato-sessilibus axillaribus.

Habitat in sylvis primitivis coloniae Africae australis Natal, ubi Novembri 1839 florentem invenit Dr. Krauss. Fructum deesse valde dolendum est.

Genera nova africana

a me vel aliis auctoribus constituta, quae reducenda videntur.

(De *Kurria* vide supra.)

Azamaza (*Azamaza trifoliata* Hochst. in pl. abyss. exsicc. Un. itin. sect. I. no. 377).

Instituta accuratiori hujus plantae examine non ad *Therebin-*

thaceas ut prins suspicatus eram, sed ad Sapindaceas pertinere et Schmideliae novam speciem esse inveni, quae sic describenda:

Schmidelia abyssinica Hochst. (*Azamaza trifoliata Hochst.* vide supra.) Arbor ingens foliis trifoliatis glabris, foliolis brevissime petiolulatis obovato-oblongis acuminatis serratis, serraturis remotis, paniculis axillaribus terminalibusque, ramis racemoso-spicatis, petalis spathulatis calycem aequantibus vel superantibus.

A *Schmidelia africana Dec.*, cui affinis, differt foliis multo majoribus, scilicet foliolis 5—9 pollices longis, 2—5 latis, et inflorescentia majori paniculata (paniculae 5—8 pollicares, ramis 2—3 pollicaribus, inferioribus saepe iterum ramosis), nec non petalis, quae in africana calyce breviora sunt.

Pappea Eckl. et Zeyh. (*Pappea capensis in Eckl. et Zeyh. Enumer. plant. cap. 53.*)

Plantam Ecklonianam ipsissimam vel originariam quidem non vidi, sed habeo plantam Dregeanam addita schedula Dregeana (verosimiliter per errorem *), quae inscripta est „*Rhus oblongifolia E. M. b.*“ Haec planta sine dubio est *Pappea capensis Eckl. et Zeyh.*, sed mihi Sapindi species, eadem, quam fructiferam ex sylvis Natalensibus retulit clarissimus peregrinator Dr. Krauss Stuttgartiensis, et primum Sapindum lachnocarpam, postea vero inductus figura Simabae? undulatae *Guill. et Perr.* in Fl. Senegambiae tab. 34. Simabam lachnocarpam in schedulis scriptis ad plantas exsiccatas Kraussianas appellavi. Nunc visa et examinata planta florifera illa Dregeana de Sapindo nullus dubito, sed ab Ecklonio et Zeyhero auctoribus pessime descriptam perperam sub novi generis nomine introductam esse video.

Sapindus capensis Hochst. (*Pappea capensis Eckl. et Zeyh.* loco supra citato. *Sapindus lachnocarpa H.* in pl. exsiccatis Kraussii no. 113.) Arbor foliis abrupte vel subimpari-pinnatis, foliolis oblongis utrinque eximie venosis glabris oppositis alternisve (ab Eckl. et Zeyhero folia non pinnata sed alterna indicantur; auctores petiolum communem ramuli loco habuisse videntur), panicula e paucis ramis elongatis racemosis composita, calyce quinquepartito, petalis quinque margine fimbriato-lanatis, staminibus quindecim, disco intus insertis, filamentis barbatis, fructibus drupaceis carnosis bi-trilo-

*) Attamen etiam alia Sapindacea (*Schmidelia africana DC.*) inter plantas Dregeanas simili errore in schedula Dregeana *Rhus melanocarpa E. M.* appellatur — an ipso Ernesto Meyer auctore?

bis, lobis globosis tomentosis monospermis. Polygama vel dioica — in planta Dregeana florente flores masculi.

Plösslea Endlicher (*Plösslea floribunda* Endl. in Nov. stirp. Mus. Vindob. Dec. no. 47 et in pl. abyss. exsicc. Un. itin. no. 698 et 875).

Postquam hujus arboris a Schimpero ex Abyssinia missa specimina florifera et fructifera examinaveram, primum *Boswelliae* speciem esse suspicatus sum, sed mox *Decades novarum stirpium* Musei Vindobonensis evolventi eandem plantam esse patuit, quae ibi ab illustrissimo Endlichero descripta et *Plössleae floribundae* nomine insignita est, generis novi inter *Sapindaceas* anomali loco posita. Huic auctoritati meam sententiam subjeci et nomen arboris *Endlicherianum* in schedulis ad specimina abyssinica additis adoptavi. Sed serius inspecta tabula 207 in *Roxburghii Plant. Corom.*, ubi *Boswellia glabra* *Roxb.* depicta est, luculentissime vidi genus *Boswelliam* a *Plösslea* non differre, et si diagnoses utriusque generis in ipso praestantissimo Endlicheri opere (*Genera plantarum* pag. 1073 et pag. 1135) comparaveris, nullam differentiam essentialem intercedere invenies, namque margo ille semen cingens, qui in *Boswellia* indicatur, in *Plösslea* non plane desideratur.

Amyris papyrifera *Del.* (in *Caill. Voyag.*) eadem arbor esse videtur, cujus solummodo flores vidit clarissimus auctor, unde factum est; ut ad genus diversum, sed ejusdem familiae retulerit. Arboris memorabilis folia neque *Endlicherus* neque *Delilius* viderunt, quae tamen a Schimpero missa sunt (sed nonnisi unus ramulus foliiferus). His praemissis plantam inter *Boswellias* collocandi venia sit:

Boswellia papyrifera *Hochst.* (*Plösslea floribunda* Endl. vide supra. — *Amyris papyrifera* *Del.*?) Arbor cortice papyraceo, foliis pinnatis 7—8 jugis, foliolis sessilibus lanceolatis crenatis et petiolo communi tomentoso pubescentibus, paniculae ramis racemosis, capsulis clavatis.

Cortex in lamellas latissimas papyraceas secedit, etiam rami floriferi et foliiferi usque ad extremitates, ubi resinam suaveolentem thuream exsulant, cortice papyraceo induti sunt. Semina basi et apice cuspidata, subtrigona, dorso lacnoso-gibbosa, ad marginem alae membranaceae lacerae fragmentis evidenter cincta (quandoque hic margo obsoletus, saepe tamen latus et valde conspicuus est, praesertim versus basin seminis). Caetera in *Decad. stirp. nov. Mus. Vindob.* no. 47.

Nomen abyssinicum arboris „Makker“. Floret Decembri, fructus Aprili maturat, folia Junio profert et Octobri dejicit. Ad montium latera versus fluvium Tacaze infra Delhadscheranne W. Schimper flores et fructus legit, et ob penuriam papyri ad plantas, quas exsiccaverat, condendas et mittendas, cortice papyracea trunci usus est loco chartae emporeticae, unde magnam hujus corticis copiam accepimus.

Kellaua Alph. DeCand. (Ann. d. sc. natur. 1841. Tom. XVI. pag. 96.)*)

Recte quidem vidit illustrissimus auctor, plantam illam, quam in pl. exsicc. abyssinica Un. itin. sect. I. no. 159. nomine *Myrsine*

*) Auf eben dieser Seite des citirten Jahrgangs und Bands der Annalen ist von demselben Schriftsteller, welcher die neue Gattung *Kellaua* aufstellt, *Maesa picta Hochst.* (pl. abyss. exsicc. Un. it. no. 286) als specifisch einerlei mit *Maesa lanceolata Forsk.* behandelt und als diese Art auf Pl. 5 fig. A. abgebildet. Diess ist gewiss irrig. Ich hatte mit gutem Bedacht die neue Art aufgestellt und von *M. lanceolata Forsk.* getrennt, und beharre darauf aus folgenden Gründen:

1) Die Blätter der abyssinischen Pflanze sind elliptica, nicht lanceolata, und in dieser Hinsicht auffallend verschieden von der Form der Blätter auf tab. VI. in Vahl Symb. bot., wo die Forskaal'sche Pflanze abgebildet ist. Was aber noch entscheidender ist, so nennt Vahl die Blätter *subavenia* und spricht nur von *nervis transversalibus*, womit seine Abbildung übereinstimmt, in welcher die *nervi transversales* nur wenige Seitenadern haben, die sich niemals unter einander verbinden; aber bei der abyssinischen Pflanze sind *folia luculentissime venosa* vorhanden, wo die *nervi transversales* viele Seitenadern aussenden, welche sich völlig und vielfältig unter einander verbinden, so dass man von einem netzförmigen Aderbau sprechen könnte. Auch sind die Blätter meiner *M. picta* viel grösser.

2) Die Blumenkrone wird von Forskaal (Fl. aegypt. arab. p. 66.) schlechtweg *alba* genannt, während sie bei der abyssinischen Pflanze *alba lineolis rubicundis picta* ist (daher *M. picta*); schon die Kelchzipfel zeigen bei dieser rothe Aederchen oder Strichelchen.

3) In der Beschreibung von Forskaal (p. 66) heisst es von der Frucht ausdrücklich: *bacca infera globosa extus basi suffulta squamis perianthii exterioris* (hier sind die *bracteolae* gemeint), *coronata apice perianthii interioris squamis appressis*, umbone in medio prominulo, und diesem gemäss zeigt auch die Abbildung bei Vahl eine Frucht, bei welcher die 5 Kelchzipfel den obersten Theil der Frucht nicht als einen Kugelausschnitt frei hervortreten lassen, wie bei der abyssinischen Pflanze, sondern vielmehr den Gipfel der Frucht überragend und über ihn sich her biegend (*appressa*) fast einschliessen, so dass nur der stehenbleibende Theil des Griffels als ein Nabel noch hervorragt.

Kellau insignivaram, non in familia Myrsinearum militare, sed in eo certe erravit, quod inter Oleaceas retulit et novi generis fecit. Antequam hanc sententiam in Annalibus Mus. Paris. loco citato legeram, examinatis speciminibus exsiccatis plantae florentis in sect. II. plantarum a Schimpero ex Abyssinia missarum (in sect. I. nonnisi fructifera aderat) Myrsinem non esse intellexi, sed in Ebenacearum genere Linnaeno *Euclea* collocandam (cfr. schedulam in sect. II. pl. exsicc. itin. no. 1078). Haec sit speciei novae diagnosis.

Euclea Kellau Hochst. Dioica, fruticosa, foliis oppositis alternisque obverse lanceolatis obtusissimis integerrimis glabris supra nitentibus venosis, pagina inferiori opaca pallida vel subferruginea, racemis axillaribus brevibus, folio plus duplo vel triplo superatis, fructibus globosis (pisi minoris magnitudine) umbonatis.

Fruticem in Abyssinia vulgarem (ab incolis „Kellau“ appellatur) d. 1. Jan. 1837 fructiferam et in Monte Sinai prope Adam d. 13. Nov. 1838 floriferam legit W. Schimper.

(Continuatio sequetur.)

4) Das Eihaus (ovarium) stellt sich bei der abyssinischen Pflanze in seinem Innern ganz anders dar, als das Eihaus der *M. lanceolata Forsk.*, welches nach einem Exemplar aus Yemen, das im Pariser Museum sich befindet, auf Pl. 8 des genannten Bands der Pariser Annalen im Durchschnitt abgebildet ist. Davon habe ich mich durch wiederholte Durchschnitte der kaum abgeblühten Blümchen meiner *M. picta* vollkommen überzeugt, wo die vollkommen runde placenta fast das ganze Eihaus ausfüllt, und mit den auf Pl. 5. A. fig. 4 angezeigten, die Samen trennenden Körperchen körnig besät ist, was auf Pl. 8 bei *M. lanceolata Forsk.* nicht so ist.

Ohne Zweifel hat der verehrte Verfasser des Aufsatzes über die Myrsinen in dem angeführten Band der Annalen, Herr Alph. DeCandolle, nur ein Fruchtexemplar und kein Blütenexemplar der abyssinischen Pflanze zur Untersuchung vor sich gehabt, sonst würde er auch das ovarium von dieser abgebildet, sich zugleich von dem Unterschied der Blüten überzeugt und beide Arten nicht mit einander vermengt haben.

Hierbei muss ich noch für die Besitzer der abyssinischen Herbarien Schimper's, welche der Reiseverein im Jahre 1840 ausgegeben hat, die Bemerkung hinzufügen, dass wahrscheinlich in einigen dieser Herbarien (doch nur in wenigen) die Blütenrispe von *Maesa picta* zu meiner *Schmidelia abyssinica* (*Azamaza trifoliata* no. 377) irriger Weise beigelegt worden ist.

Die Diagnose meiner *Maesa picta* stelle ich so:

Maesa picta Hochst. Foliis ellipticis venosis, superne grosse serratis acutis, petiolatis, glaberrimis, corollis venis rubentibus pictis, fructu calycis dentes erectos superante.

Nomen abyssinicum: „Sauerja“. Habitat in regione superiori montis Scholodá, ubi florentem et fructiferam legit d. 11. Jun. 1837 W. Schimper.

A n z e i g e.

Ankündigung eines neuen Abonnements auf

Dr. Gottlieb Wilhelm Bischoff's (Prof. d. Botanik in Heidelberg)
Handbuch der botanischen Terminologie und Systemkunde. In
14 Lieferungen von 12 Bog. Text u. 5—6 lithogr. Tafeln in gr. 4.
Preis für jede Lief. 1 Thlr. od. 1 fl. 48kr. Nürnberg, bei L. Schrag.

Nach dem allgemeinen Urtheil das vorzüglichste Werk über diesen Gegenstand. — Dazu kann man behaupten, dass wir in der botanischen Literatur bis jetzt noch kein ähnliches Werk besitzen, das Vollständigkeit mit den unvergleichlichsten Abbildungen zur Veranschaulichung der botanischen Begriffsbestimmungen vereinigt. Es ist aber auch nur ein Botaniker wie der Verfasser im Stande, letztere mit ersterer zu liefern; denn nur, wenn der Botaniker zugleich ein ausgezeichneter Pflanzenzeichner ist, kann ein solches Unternehmen ausgeführt werden. Herr Prof. Bischoff hat durch seine Zeichnungen bewiesen, bis zu welchem Grade der Natürlichkeit, Präcision und zugleich der lieblichsten Schönheit die Pflanzendarstellung, selbst in wesentlich verjüngtem Maasstabe, gesteigert werden kann. Wir glauben ohne Uebertreibung behaupten zu können, dass ein Gleiches im Steindruck noch nicht geleistet worden ist. Dabei haben sich Hr. Jos. Prestel durch die Gravirung u. die Herren Gebr. Minsinger durch sorgfältigen Druck rühmlichst ausgezeichnet. Die 77 grossen Quarttafeln enthalten nicht weniger als 3911 phanerogamische und kryptogamische Pflanzendarstellungen, die mit den besten Kupferstichen wetteifern können.

Was den Gehalt des Textes anlangt, so können wir die Ueberzeugung aussprechen, dass nicht nur der Anfänger damit ein systematisches Lexicon zum Verständnisse der jetzt zu einer enormen Zahl angewachsenen Kuustausdrücke in der Botanik nach Linné und allen folgenden botanischen Schriftstellern von einiger Bedeutung bis auf den heutigen Tag erhält, sondern dass auch selbst der strengste Kritiker nichts Wesentliches daran auszusetzen haben kann. Ein Werk, wie das gegenwärtige, welches alle Meinungen neben einander stellt, bietet selbst dem schaffenden Meister in der Botanik die Mittel dar, durch Vergleichung der Differenzen den richtigen Weg zu erkennen und ihn sonach zu betreten. Dasselbe gilt von der (Systemkunde) Lehre der verschiedenen, bis jetzt versuchten wissenschaftlichen Eintheilungs- und Anordnungsweisen der Pflanzen, und der Erläuterung der Grundsätze, wornach dieselben stattfanden. Eine kurze, aber genaue Darstellung alles dessen, was zur Systemkunde im engeren Sinne gehört, die einen vollständigen Ueberblick aller wichtigeren und bemerkenswerthern botanischen Systeme gewährt. Der Gebrauch dieses Werkes wird noch vollends durch das beigefügte genaue Register erhöht.

Einlauf bei der k. botanischen Gesellschaft

vom 25. Januar bis 4. Februar 1843.

- 1) Bulletin de la Société Impériale des Naturalistes de Moscou, Année 1842. No. II et III. Moscou, 1842.
- 2) Mittheilungen über Flora, Gesellschaft für Botanik und Gartenbau in Dresden. Herausgeg. von C. T. Schramm. Dresden u. Leipzig, 1842.
- 3) G. Lomler, Anzeige des botanischen Inhalts von Silliman's American Journal of Science and Arts.
- 4) Bravais, organographische Untersuchung der Nectarien. Nach dem franz. Original im Auszug bearbeitet von Dr. A. Schnizlein.
- 5) L. R. u. Ch. Tulasne, über den Bau und die Fructification einiger Gastromycetes der Abtheil. Trichogasteres. Nach dem französ. Original bearbeitet von Dr. A. Schnizlein.
- 6) Nekrolog von H. E. Grabowski, mitgetheilt von S—r.
- 7) Dr. Schauer über Grabowski's Flora von Oberschlesien u. dem Gesenke.
- 8) Samenverzeichnisse von Breslau, Erfurt und Erlangen.
- 9) O. F. Lang, üb. Carex caespitosa L. u. einige in der Nähe stehende Carex-Arten.
- 10) Samen aus dem botanischen Garten zu Würzburg.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1843

Band/Volume: [26](#)

Autor(en)/Author(s): Hochstetter Christian Ferdinand

Artikel/Article: [Nova genera plantarum Africae 69-84](#)